





10

DE
R A T I O N E

1780 13 2

PRINCIPIVM IVRIS NATVRAE

CVR SIT
MVLTVS VISVM VIX POSSE ADINVENIRI
IDEMQVE CVR VNICVM ESSE DEBEAT

P R O L V S I O

QVA
AD AVDIENDAM

O R A T I O N E M

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE
AC GENTIVM

EXTRAORDINARIAE INAVGVRALEM

DIE XIII. APRIL. MDCCCLXXX

PVBLCICE RECITANDAM
OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE
HVMANITATE
INVITAT

D. CAROLVS FERDINANDVS SCHMID

VITEBERGAE
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS

KÖNIGLICH
UNIVERS.

1771
LITTONI
KONIGLICHEN UNIVERSITÄT ZU HALLE

PHYSIKALISCHES INSTITUT
UND OBSERVATORIUM
ZU HALLE

1771

1771

KONIGLICH
UNIVERSITÄT
ZU HALLE





Nulla certe scientia, praeter illam fortasse physiognomiae scientiam vel potius artem, nec tamen liberalem, quae magna inter eruditos, nostris temporibus, excitauit dissidia, tot tamque varia habuit fata, quam, de cuius principio aliquid disserere nobis animus est, Ius Naturae. Habuit enim, a primo statim momento originis suae, cultores, propugnatores firmissimos atque celeberrimos, itidemque inimicos, aduersarios pertinacissimos neque gloria minores. Exstiterunt, quorum plures nobis suggerit Historia Iuris Naturae, posteaquam in scientiae formam Iurisprudencia Naturalis redacta erat, qui eam vel omni ex parte reiicerent, vel mox hoc, mox illud ex eius praeceptis quam acerrime impugnarent et quidem ita, vt totum huius doctrinae aedificium corrueret, si praeualeret eorum sententia. Et inter hos prae caeteris ii merito referendi esse mihi videntur, qui et ipsum Iuris Naturae principium in dubium vocare omnibus viribus enisi, id intenderunt, vt omne Ius Naturae, principio eius, vel fundamento, remoto, destruerent atque eradicarent. Quoniam vero haud pauci Iuris Naturae scriptores, nec caeterum sagacitate ingenii acumine infimi, censent, fieri posse, vt Ius Natu-



rae vel plura habeat principia, vel nulla, nihilominus tamen salua eius atque integra natura, ante omnia hoc nobis agendum erit, vt definiamus, quid per principium Iuris Naturae intelligi velimus. Quantum distet principium effendi, vt vocant, atque principium fiendi a principio cognoscendi, non est, quod multis hic exsequamur. Quid porro Iuris Naturae Doctores de principio leges naturales cognoscendi statuerint, hic nihil attendo. Legem fundamentalem per principium cognitionis plerique denotari sibi persuaferunt, ex qua caeterae omnes leges Iuris Naturae deducendae essent atque deriuandae tamquam ex fonte. Multum vero haec notio habet difficultatis, si eam paullo diligentius consideremus. Omnium legum naturalium cognitionem principio Iuris Naturae debemus. Et tamen facile euenire potest, vt vnum vel alterum Iuris Naturae praeceptum ex aliis eius praeceptis prius cognoscatur, quam ex eius lege fundamentali. Quod multi obiecere, rati fore, vt ad hoc nemo respondeat. Iidemque aliud sumserunt, quo firmiter redderent hoc argumentum, ex eo, quod non adinueniri posset principium omnibus euidens, de quo nemo, ratione humana praeditus, dubitare auderet, immo quod neminem fugeret. Et si res ita sese haberet, omnis profecto vana esset opera, quam in principii Iuris Naturae defensionem impenderemus. Quid enim tam luculentum reperitur atque verum, vt cuiusque pateat et ne vlli quidem dubium de eo mouere liceat? Abstineamus porius a tali conanime, taceamus atque in eorum sententiam abeamus, quibus displicet omne Iuris Naturae principium constituendi studium. Sentiant interea, quidquid velint, alii, dummodo, quid mihi videatur, haud reticere et mihi liberum sit. Quare aequali hoc iure si vtor, neminem spero futurum esse, qui vitio mihi vertat, quod meam qualemcumque sententiam proferam. Mihi vero principium Iuris Naturae non tam lex fundamen-

men.

mentalis esse videretur, ex qua omnia caetera, quae ad Ius Naturae per-
 tinent, haud difficulter eruenda sint, quam propositio, quae nobis
 enunciet, quid legibus, quae Ius Naturae conficiunt, inesse debeat,
 ex quo cognoscatur, an Iuri Naturae subsint. Qua quidem ratione
 nihil profecto principio Iuris Naturae decrefeit de sua auctoritate, si
 ad hoc redigatur, ut limites regat atque definiat Ius Naturae inter et
 philosophiam moralem, quum etiam hac ratione nemo Ius Naturae
 recte intelligere queat, nisi qui eius principium prius recte intellexe-
 rit. Manet praeterea fons vel principium cognitionis legum natura-
 lium, propterea quod, nisi de verbis decertare velimus, eandem no-
 bis praestat utilitatem, si distinctiorem Iuris Naturae atque Ethicae dif-
 ferentiam nos edoceat, ac si legibus ipsis Iuris Naturae nos instruat.
 Quantum enim intersit Iurisconsultorum a viuendi norma Ius Naturae
 distingui, per se manifestum est. *) Et ualde dubito, an, nisi ipso
 Iuris Naturae principio, vlla alia ratione eo perueniamus, ut, quo ab
 Ethica Ius Naturae differat, cognitum atque compertum habeamus.
 Numquam defuerunt quidem, Ius Naturae qui cum philosophia mo-
 rali coniungerent et vtramque pro vna scientia haberent. An vero
 recte de hac re cogitauerint, alia est quaestio. Concedamus Ius Na-
 turae et Ethicam vnam constituere doctrinam, quid sequitur exinde?
 Hoc, nisi fallor, ut, quae vtraque tradit scientia, praecepta vnus
 eiusdemque sint naturae, itidemque officia, quae vtriusque praece-
 ptis inculcantur. Officiorum perfectorum ac imperfectorum distin-
 ctione remota, remouebitur fundamentum etiam, quo iustitia externa
 innititur atque ius cogendi, quod hominibus in statu naturali denegari

A 3

non

*) Quod vberius commonstrauit nuperrime CHRIST. GOTTFRIED KOERNERUS
 in dissertatione inaugurali, Lipsiae edita.



non potest. Quis autem tunc deducere suscipiet atque commonstrare, quo modo factum sit, vt legislatores sibi vindicauerint potestatem ex sua voluntate alios ad obsequium obligandi? Translata est iis, inquires, per pactum vltro a quibusdam ac sponte initum. At vnde tibi tam apertum est, de qua re pacisci liceat, aut quo modo ad iusti cognitionem peruenerint homines, de eo, quod a se inuicem vi iusta poscerent, satis edocti? Omnia ignorabis, si officia, quae nobis incumbunt, haud curate secernis, atque postea officia quam miscueris, vnam cum altera commisces scientiam. Etenim numquam talem incidemus mixturam, officiorum diuersitatis memores. Sicuti itaque Ius Naturae a philosophia morali abhorret, ita non est Iuris Naturae Doctoris vltimum studium adinueniendi omnibusque dubiis liberandi, quod perpetuos ac certos fines Iuris Naturae inter atque Ethicae scientiam constituat, principium. Quid vero haud paucos Iuris Naturae scriptores mouerit, vt statuerent, Iuris Naturae principium adinueniri non posse, hoc est, cui diutius paululum immorabimur, eo consilio, vt, posteaquam eorum argumenta excusserimus, eo certior stet nostra sententia de Iuris Naturae principio constituendo. Mouit itaque, Historiam Iuris Naturae si adimus, multos, vt talem opinionem fouerent, idea, quam sibi effingebant de Iure Naturae, diuersa ratione mox *Iuris*, mox *Naturae* vocem intelligentes. Naturae vocem, non est, quod miremur, tam varie esse acceptam a quibusdam Iuris Naturae scriptoribus propter nimiam eius ambiguitatem, quae ineptissimam admittit significationem ideoque nemini obstat, quo minus omne Ius Naturae vel omni ex parte tollat, vel idem cum hac vel illa scientia confundat atque temere commisceat. Si enim naturam pro ea accipis, quae homini est propria, non statim adparet, rationem humanam intelligendam esse, quia haec non est unica dos, qua huma-



na absolvitur natura. *) Ius Naturae porro, si pro eo accipitur, quod nobis per rationem innotescit, nihil aliud est, quam ius rationale, quod omne ius esse debet, quia sine cognitione nullum ius est, neque quod non sit rationi consentaneum. Hi, qui naturae Deum ipsum, tamquam eius auctorem, substituunt, difficultate implicantur, quae sese expedire non possunt. Ius Naturae est ius diuinum, sed ius etiam praeter hoc exstat, quod est a Deo confectum. Vbi ergo singulare illud, quo Ius Naturae a reliquo secernatur iure diuino? Huc vero adcedit, quod per naturam si Deum intelligis, facile vnus pro altera mixtim ponitur, ideoque maxima metuenda est confusio summaque obscuritas circa Iuris Naturae notionem. Obscura autem ipsius doctrinae notio prohibet, quo minus firmum aliquod illius stabiliatur principium. Omnes itaque, qui hac vel illa ratione Ius Naturae euerunt, de principio eius constituendo cogitare non possunt. Hoc tamen non vetat, quo minus indagemus, quo isti refellantur, nos vero, quod suscepimus negotium, ad finem adducamus. Quare naturae vocem tot acutissimis viris, quotquot velint aberrare, iuris vocabulo auulsam, obscuriorem reddere liberum sit atque concessum. Sufficit nobis, habere hanc vocem aliquam significationem, quae, non inquam, cum ipsa veritate, sed cum doctrina ipsa optime conueniat. Scimus enim leges naturales nullas alias esse, quam omnibus hominibus communes, **) eosdem aequali ratione obligantes, quae a Deo proueniunt, communi hominum superiore, nec vero ab illo viua, nec scripta voce promulgatae, quippe quae ratione sola cognoscuntur vel potius ex quibusdam fundamentis et principiis, quorum cognitione nos instruxit ratio humana, deducuntur atque colliguntur. Et, quoniam

*) Dub. Iur. Nat. II. §. II.

**) HOLLMANNI Iurisprud. Nat. I. 2. §. 4^{te}



niam rerum natura legum naturalium suppeditat nobis fundamenta, non est, vt mihi videtur, reiicienda illa denominatio, quae planum facit atque luculentum, vnde Iuris Naturae cognitio hauriatur. Sed videamus, quam frustra laborent, qui iuris vocabulo vim inferunt, id scilicet peruerse interpretantes. Ita CARNEADES, LACTANTIO teste,*) ius naturale nullum esse, quum homines pro vtilitate iura sibi finxerint, existimauit; omnes homines et alias animantes ad vtilitates suas natura duci statuens. Secundum huius philosophi sententiam omne est iustum, quicquid est vtile, ideoque sola vtilitas ius constituit. Non defunt porro, qui leges naturales ideo non admittendas esse sibi persuadeant, quia conclusiones eae sint potius ratione intellectae, quam declarata, verbis vel scriptis expressa voluntas eius, qui aliquid fieri vel non fieri aliis iure imperet.***) Vbi vero nullae sunt leges, ibi nullus est earum complexus, siue nullum ius. Num vero Dei voluntatem ex eius factis, Dei voluntatem, inquam, quae omnes inuoluit leges naturales, hominibus colligere liceat, alii grauissimis torquentur dubiis, qui facilius processurum esse, quod velimus, censent, si, qualia Deus fecit opera, nos etiam fecissemus, itidemque, quod ad sanctitatem Dei pertinet, eam melius nos cognitam habituros esse existimant, si factis non opus sit diuinis, vt sanctitatem auctoris cognoscamus.***)) Quis vero est, qui commonstrare queat necessitatem Ius Naturae ad tantum ambitum extendendi, vt superet magis ingenii vires humani, quam adiuuet? Haud minus reprehendendi videntur, qui iure omne, quod iustum est atque honestum, denotari volunt. Magna hic producenda essent nomina celeberrimorum Iuris
Natu-

*) Diuinar. Instit. V. c. XVI.

***) HOBBS de ciue. IV. §. 33.

***)) Dubia Iur. Nat. IV. §. 86. 89.



Naturae scriptorum, nisi pie horum virorum memoriae deberemus reuerentiam, quae condonat eorum errores. Nihilominus tamen ad horum sententiam sese flexit BASEDOVIUS, nisi proprium aliquid hac de re statuere sibi visus est, qui Ius Naturae docere contendit, quae agenda sint vel omittenda sapienti ac honeste viuenti tum ex solis conscientiae praeceptis, tum ex vtraque lege ciuili ac naturali, *) quod valde miror. Honesti enim, SCHMAVSSIO recte philosophante, **) sunt ea, quae relationem habent ad hominis mentem, eius commotiones atque voluntatem neque vllum societatis vinculum supponunt; quum ad forum conscientiae, non ad forum humanum pertineant. Quae vero iusta, et quidem externe, dicuntur, semper ad alios referenda sunt. Manifestum est igitur, rebus tam diuersae naturae mixtis, fieri non posse, vt principium adinueniatur, ex quo vtraque deriuari possint, iusta atque honesta, et quod omnibus, minime Iuris Naturae probetur Doctoribus. Non multum differunt ab illis, quorum superius mentionem feci, num leges naturales, quae dent Iuri Naturae nomen atque existentiam, legibus proprie sic dictis adferri possint, quia non sint viua voce vel scripto promulgatae, dubitantibus, ii, qui Iuri Naturae, vel legibus naturalibus, quae id constituunt, sensum iuridicum denegant. ***) Maxima difficultas, quam circa hanc rem sibi effingunt, in eo posita est, quod lex sensu iuridico est iustum in-

peran-

*) In libro: *practische Philosophie für alle Stände*: p. 4. vbi haec reperiuntur eius verba: „die Staatsklugheit ist bisher zu einigem Nachtheil der Wahrheit mit dem eigentlichen Rechte der Natur vermischt, welches (*das R. d. Nat.*) lehrt, wie ein Tugendhafter und Kluger nach seinem Gewissen handeln muss, theils, wenn über solche Handlungen gar keine bürgerlichen Gesetze gegeben sind, theils wenn in denselben wirklich darüber etwas bestimmt ist.“

**) Neues System des Rechts der Natur. Cap. I. §. 12.

***) Ephr. Gerhards *Delineat. Iur. Nat. I. IV. §. 45. et seqq.*



perantis subiectos externe obligans ad obsequium, in imperantis utilitatem, Deus vero propriam utilitatem intendere nequit; leges naturales praeterea naturalem magis minitantur poenam, quam arbitriam. Quare, inquit, leges Iuris Naturae amicis vel paternis consiliis sunt similiores, quam legibus. Consilium nullam imponit necessitatem agendi, ideoque lex nulla est naturalis. Sequitur vero exinde, quod non fortasse viderunt, ut nullum plane officium perfectum ex legibus diuinis naturalibus descendat, nulla perfecta obligatio ad recte beneque viuendum, adeoque male, immo pessime saluti prospiciatur totius generis humani. Consilium sequitur, quisquis vult; quisquis bonum, quod suadet, adgnoscat et quidem adgnoscat, quia ita placet. Legibus itaque diuinis naturalibus omni auctoritate exutis, neque erit Iurisprudentia Naturalis, quis enim obligatur, ut consilia sibi cognita reddat diuina naturalia? minime vero vllum eius principium, quum ipsa deficit doctrina optimum in ordinem composita. Quam inania sint eiusmodi dubia, omnibus patet, qui GVDLINGIO *) consentiunt, tyrannorum esse docenti, in legibus propriam utilitatem respicere, poenas vero naturales, quatenus in statu naturali arbitrio hominum, quibus eas infligendi ius competit, relictas sunt, arbitrariis omnino adnumerandas esse, non negant. An vero melius sit, uti GVDLINGIO **) atque GRIBNERO ***) placet, ut omnes euitentur difficultates, primum illud principium plane omittere vel plura principia admittere, id est, quod valde dubito. Audiamus interea, cur ita sentiendum esse his videatur viris, argumenta. Non opus est, inquit GVDLINGIVS, semper ut principium generalius, id est primum

*) Iur. Nat. I. §. 36.

**) Iur. Nat. II. §. 3. et seqq.

***) Iurispr. Natur. Proleg. IV. §. 12

mum, in fronte totius disciplinae constituatur. Non opus est semper. Quod lubenter largior. Quid inde? Quia non in alia quadam scientia, ergo etiam in Iurisprudencia Naturali principio generaliore constituendo superfedere possumus? Non statim, pergit GVNDLINGIVS, omnes veritates sub vna generaliore collocari possunt. Neque debent. Sufficit, si ad omnes reliquas faciliorem aperiat viam, si facilius ex hac cognita caetera cognoscantur vera, aut potius si id nos edoceat, quod Iuris Naturae veris inesse debeat, vt sint, quod esse dicuntur. At auertuntur a contemplatione singularium verorum, qui ab vniuersali veritate incipiunt. Auertuntur quidem pro more suo, non autem necessitate coacti. Si enim adparet, veritatem, quam pro generaliore venditant, esse ex earum serie, quae Iuri Naturae propriae sint, quid refert, vtrum sit generalior per se atque necessario, an, quia quibusdam esse videtur? Quare ii profecto, qui vniuersalem veritatem non admittunt, auocari a reliquis veris examinandis non possunt, nisi de omnibus veris dubitent, quae ad Ius Naturae pertinent, vel omnem Ius Naturae scientiam ad nihilum redigere conentur. At, alius mihi regerit, *) tot tantique viri in principio Iuris Naturae conformando frustra versati sunt. Quid vero prohibet, quo minus de eodem alii videant? Quod enim multi non adsequuti sunt, id non est ideo tam absconditum, vt ne vllus quidem denique eruat. Immo etiam maiorum exemplo melius edoctis, posteris licet, corrigere corrigenda; falsa reicere; nondum reperta vero reperire addendaque addere. Quid ergo impedit, quo minus de nouo industriam in vetustissimam illam Iuris Naturae quaestionem impendamus? Obstat huic negotio, GLAFEIVS respondet, **) maxima difficultas, quae sese in

B 2

60

*) GRIBNERVS in Iurisprud. Nat. Proleg. IV. §. I. 3.

**) Recht der Vernunft, p. 271.



eo exferit, quod principium Iuris Naturae acerbissimis inter Iuris Naturae scriptores disidiis praebet occasionem. Quam subtile, quaeſo, argumentum! Quoniam quaelibet ſententia, licet veriſſima, habet, qui eam impugnent, ideo nemini eſt probanda? Diſſentiant, quibus placet, et nos diſſentiamus! Eo firmius erit ac certius, de quo conueniemus. Stulti ſunt, immo ſtultiſſimi, quorum animi repugnantia ita exacerbantur, ut obrectent calumniisque obruant, qui eorum ſententiae refragentur. At celerius componuntur, GLAFEIUS inquit, lites atque controuerſiae, quae de Iuris Naturae veris mouentur, ſi nullum ponamus principium. Sufficit, ex huius ſententia, ſi ſciamus hanc vel alteram legem, vel actionum noſtrarum liberarum normam, Iuris eſſe Naturae. Cui hoc habeo, quod reſpondeam. Semper tamen aliquid adeſſe oportet, ex quo nobis innotefcat, cur quaedam lex ſit lex naturalis, et quam ob cauſam Ius Naturae a philoſophia morali ſeiungatur. His et hoc addere liceat, quod SVLZERVS noſter *) oppoſuit argumentum Iuriſconſultis, qui Iuri Naturae hanc propoſitionem: *neminem laede! ſuum cuique tribue!* maxime conuenire tradunt inſimulque edocent, eandem primariam eſſe huius doctrinae propoſitionem. Non vero eſſe difficile intellectu, firmiter ait, talem propoſitionem generalem omnino nihil proficere, quo facilius caeterae propoſitiones illuſtrentur ac intelligantur. Ex illa: *ſuum cuique tribue!* propoſitione omnino verum eſt, non ſtatim cognoſci, quid nobis ſit alteri tribuendum. De altera e contrario: *neminem laede!* non ad vnum omnes idem dicendum eſſe exiſtimabunt. Eſt enim propoſitio haud obſcura, quae ab omnibus percipi poteſt ſine aliarum adminiculo.

Pla:

*) Vermifchte philoſ. Schriften, p. 390. in diſſertatiuncula: Verſuch einen feſten Grundſatz zu finden, um die Pflichten der Sittenlehre und des Naturrechts zu unterſcheiden.

Planiora sunt per eam caetera Iuris Naturae vera, quum genus constituit, ad quod ea referenda sunt omnia. Quid, ut et ab ambiguitatis crinque eam omnimodo liberem, nos facere iubet? Iubet omnia ommittere, quae alterius conseruationi aduersentur. Si conseruationem obscurum esse aliquid atque vagum obiicias, audacter te remitto ad tenet ipsum. Cura ut viuas, valeas, ut, quae ad vitam necessaria sunt, iis instructus sis, ut, quae a te possidentur, secure habeas atque perpetuo. Et quae sunt alia praecepta, ex illo temet ipsum conseruandi officio deducenda. Sequitur itaque, ut luculentissima sit haec lex quam plurimis conclusionibus idonea, quae vetat, ne quisquam prohibeatur, quo minus sui ipsius conseruationi satisfaciat. At nullum est, pergit SVLZERVS, admittendum principium, quod ipsam Iuris Naturae cognitionem supponit, neque fons est, vnde illa hauriatur. Quod non nego, sub certa tamen limitatione. Non enim fieri potest, quin omnis propositio generalis, quamuis euentissima, tum demum pro tali habeatur, postquam ratio non amplius latet, cur pro tali habenda sit. Mittamus igitur philosophum atque rem ipsam paullo vberius persequamur. Omne, quod ex lege naturali alteri tribuendum est ab altero nihil aliud erit, quam hoc, ut nemo prohibeatur, quo minus faciat, quod omnibus facere licet, vel ne vlli ius auferatur, quod omnibus competit. Numquam vero maior nobis obuient certitudo de hac lege naturali, nisi diligentius in eo occupati fuerimus, ut, quid ei inesset, eliceremus per adplicationis modum ad factum. Non obligamur ex Iuris Naturae principiis ad alterius salutem augendam nec ad quidquam faciendum, quo alios adiuuemus, secundum illud, quod toties decantatur illo prouerbio: *Quilibet sibi est proximus!* Quoties vero factum perpetratur obligationi, neminem laedendi, contrarium, nouum ius exoritur, scilicet laeso, laesionem vindicandi. Quid vero



laesio sit, statim adparet, si ad iura oculos flectamus, quae laesa dicuntur. Ita laeditur aliquis, libertatis intuitu, quum potestati alienae, quae plane ignoratur in statu naturali, inuitus subiicitur; vitae, quum ei, et quidem innocenti, insidiae struuntur; domini, quum auferuntur, quae ei propria sunt optimo iure. Quapropter cuius libertas in periculo versatur, ius habet vim propulsandi, sicuti is, qui metuit, ne vitam vel rem suam amittat. Is denique, cui libertas, vel res erepta est, ius habet laesionis auctorem ad damni vel mali illati restitutionem cogendi. Qua quidem ratione lex illa, quae laesionem alterius coercescit, satis definit, quid iustum sit atque iniustum, quid sit officium perfectum atque imperfectum, ideoque haec sola, vt mihi videtur, quae pro generali Iuris Naturae lege venditur, est digna, nisi vnica certo respectu. Obscuritate, vt vidimus, non laborat, immo intellectu est facillima. Cui laudi nihil detrahit, quod ad vnum omnes non statim flectat ita, vt de illa ne vllus quidem dubitet, nec ab vllus Naturae diligenter sit pertractandum atque inuestigandum, nisi ab eo, qui hanc primariam esse Iuris Naturae legem agnouerit. Simile quiddam GRIBNERVS *) obiicit, existimans, propositionem fundamentalem, quae Iuri Naturae constituatur, talem esse oportere, vt ex ea sine vlla difficultate et fere citra omnem industriam quilibet statim de quibuscunque quaestionibus possit ferre iudicium. Vtinam, possit! Tunc enim Ius Naturae tradere, itidemque addiscere superfluum esset ac plane inutile, eruditorum autem cuique magnum temporis spatium vacuum redderetur, grauioribus quod tererent negotiis. Alia, cur tot Iuris Naturae Doctores de constituendo eius principio desperauerint, ratio in hoc posita est sine dubio, quod tam multas ac magnas ei inesse oportere virtutes contenderent, quae numquam in eo reperi-

*) Princ. Iurispr. Natur. Proleg. IV. §. I.

reperirentur coniunctae. Vniuersale sit atque euidens Iuris Naturae principium! inquit. Quis negabit? Quis vero postulabit, quod fieri non potest, vt nullum principium vniuersale dicatur, quod non omnes leges Iuris Naturae comprehendat; nec euidens, quod non sine vlla demonstratione cuiusque pateat? Verum, adaequatum praeterea sit, poscunt, domesticum atque vnicum. De singulis his Iuris Naturae requisitis breuius agam. Quod ad eius veritatem pertinet, non est profecto operae pretium, vt principio aliquid tribuamus atque adiudicemus, quod ei cum caeteris veris, quorum primarium esse censetur, commune esse debeat. THOMASIVS *) nihilominus tamen principii Iuris Naturae veritatem per conuenientiam praedicati cum subiecto explicandam esse iudicauit. Quodsi hoc sensu verum est principium Iuris Naturae, eius veritate nihil noui continetur. Adparet enim statim hoc requisitum nihii esse aliud, quam illud, per quod principium Iuris Naturae tale est, quale praedicatur. At quomodo hac de re inter omnes constabit? Vnus vel alter semper reiiciet, quod a quibusdam pro certo firmatur. Idem vero THOMASIVS **) aliam nobis exhibuit veri principii Iuris Naturae notionem, secundum quam ita comparatum sit oportet, vt nullam falsam contineat propositionem. Quae non multum differt a priori sententia, ideoque de hac etiam valent, quae de illa prius disserui. GRIBNERVS ***) igitur recte argumentatus est, si caetera requisita Iuris Naturae principii adsint, hoc ipsum, vt nempe verum sit, per se consequitur. Nihilominus tamen aliter hac de re censendum esse ei videtur, si verum ficto opponatur. Tunc enim facile concedit, figmentum non esse posse Iuris Naturae fundamentum. Quod res ipsa docet, quum falsa sunt, quae finguntur

*) Fundam. Iur. Nat. l. I. VI. 4.

**) Instit. Iurisprud. diuin. l. IV. §. 4.

***) Princ. Iurisprud. Natur. Proleg. IV. §. XI. n. 1.



tur, ex falsis vera cognosci nequeunt. Quae comminiscuntur poëtae, quis unquam vera esse existimauit, ex quibus alia eruantur vera? Ficta enim atque vera sunt tam disparis conditionis, vt se inuicem tollant. Ita etiam commentis adenseo omnia fere, quae a plurimis Iuris Naturae scriptoribus traduntur de innumeris istis principii Iuris Naturae requisitis, eo consilio, vt ad vnum omnes ab eius constitutione absterreantur in aeternum. Adaequatum fundamentum Iuris Naturae esse oportet, ex istorum sententia; vt scilicet et omnia et sola praecepta Iuris Naturae inde deriuentur. Nonne igitur adaequatum principium Iuris Naturae idem denotare videtur, quod vniuersale? Quid de vniuersali statuendum sit, supra iam dixi. Nouum interea, quod adaequati cognomine insignitur, requisitum in eo fortasse cernitur, vt adaequatum Iuris Naturae principium sola Iuris Naturae, et quidem, si de Iure Naturae cogenti sermo est, cogentis praecepta contineat. Num inaudita nobis innotescunt, num irreperta comperimus? Principium, quod doctrinae limites excedit, cui proprium dicitur, id profecto esse non potest, vnde prima eius initia petantur. Restat, vt videamus, quid domesticum Iuris Naturae principium praecipui habeat notatuque digni. GRIBNERVS domesticum Iuris Naturae fundamentum adpellat, quod ex ratione intelligi et cuius veritas cuius demonstrari potest. *) At nemo erit, qui non intelligat, principium Iuris Naturae eiusdem esse oportere originis, cuius Ius Naturale ipsum. Hoc vero requisitum quod necessario Iuris Naturae principio inesse debeat, vt de principio Iuris Naturae quam certissime constet, plures negabunt, quin ego ipse firmiter nego. Ex his igitur patet, difficultates illas, quibus in principio Iuris Naturae eligendo, eius requisita ansam praebuere, maxima ex parte euanescere. Quod vltimo loco
adtuli

*) Princip. Iurisp. Natur. Prolegom. C. IV. §. II. n. 3.



adtuli requisitum, grauius mihi videtur, quam vt fictis illis atque vanis adnumerem, quae vellem, obliuioni tradidissem. Sin itaque nulum admittant principium Iuris Naturae, nisi quod vnicum sit, non solum recte, sed etiam ne melius quidem eos posse hac de re sentire existimo. Ne vero aliquid pro lubitu sumere videar, triplicem, quam principio Iuris Naturae dare possumus, formam breuius hic repetamus, quo ex cuiusque earum ratione facilius deducamus, cur principium Iuris Naturae diuersis modis quamuis sit conformatum, nunquam aliter cogitari queat, quam vnicum. Sit igitur principium Iuris Naturae, ex GERHARDI definitione, *) quod vnica propositione seu axiome generali et fundamentali omnes, quotquot dari possunt, legum naturalium propositiones comprehendit. Sequitur ex hac notione, vt, si plures leges fundamentales adsumas, illa lex fundamentalis esse non possit, reliquae vero conclusiones potius sint, quam conclusionum fontes, siue quaedam generaliores, quaedam specialiores, ac eo ipso numquam vniuersales. Quam ob causam ii omnes, quibus placet principium Iuris Naturae vniuersale, vel sibi met ipsis contradicant vel fateantur oportet, id, quod vniuersale, etiam vnicum esse debere, propterea quod, nisi vnicum sit, vniuersale esse non potest. HOLLMANNVS **) singularem opinionem de principio Iuris Naturae fouens, conseruationem sui ipsius pro ipso Iuris Naturae fundamento accipit. Ipse vero, cur ita sentiat, haec profert: quidquid finibus diuinis, sola ratione cognitum, conuenit, illud vim legis naturalis habet, id est voluntatis diuinae de iis, quae omittenda sunt vel perpetranda hominibus. Haec vero voluntas diuina principium aliquod supponit, vnde

*) Delin. Iur. Nat. I. VIII. §. 3.

**) Iurisprud. Nat. P. I. c. II. §. 43. et seqq.



vnde colligatur. Illud omne pro principio cognoscendi leges naturales nobis habendum erit, quidquid rerum ita comparatum est, ut voluntatem creatoris exinde deducere liceat. Inter haec quum fines rerum a Deo procreatorum evidentissimi prae caeteris emineant, ex his voluntas diuina tutissime colligi potest. Finis vero creationis ultimus finibus intermediis, quia Deum ipsum respicit, anteponendus est, quippe qui omne remouet dubium, illius finis gratia, cuius causa conditum sumus a Deo, Deum velle etiam salutem atque conseruationem nostram. Quare conseruationem nostram pro principio cognoscendi eius, quod Deus fieri vel omitti velit tam a nobis aliorum, quam ab aliis nostri intuitu, adsumere tuto possumus. At, sit pace tanti viri dictum, valde dubito, num hoc sit principium Iuris Naturae proprium. Quid enim impedit, quo minus totius philosophiae moralis praecepta ex illo colligamus? Conserua te ipsum, si facere cupis, quae Deus vult ut facias. Non potes Deum colere, nisi cures ut valeas; non potes te ipsum perfectiorem reddere, nisi vitam custodias, sine qua, in hac rerum serie, esse non potes; non potes alterius inferuire salutem, nisi ipse integer sis atque viribus pollens. Omnes porro studeant atque enitentur, ut semet ipsos conseruent. Quid inde? Quamnam ad rem sibi omnes aequaliter obligantur? Ad conseruationem? Quot vero casibus quilibet se ipsum potius, quam alios, curare se oportere existimabit? Statim igitur adparet, quod iam vidit GERHARDVS, *) qui PROELEVVM, omnia ex conseruatione sui, ad quam omnis inclinatur homo, deducentem officia notauit, hoc principium Iuris Naturae, sine illa limitatione adiecta: meminis ergo turba conseruationem! subsistere non posse. Subsistat tamen, ut etiam ex hoc cognoscamus, principium Iuris

Natu-

*) Delin. Iur. Nat. L. c. IX. §. 80.

Naturae, nisi vnicum, vanum esse atque nullum. Pone, ex omnibus finibus, quos Deus sibi proposuerit in hominibus creandis, Dei voluntatem colligendam esse, sequitur, vt numquam vnus eorum vltimus sit dicendus, ideoque nulla ex legibus naturalibus primum locum obtineat. Creauit scilicet Deus Optumus Maxumus hominem eo consilio, vt esset; propterea quod humana natura tam eximie non esset instructa atque exornata et, quod grauius persuadet, tam bona indoles ei non esset indita, vt statim destructa, immatura adhuc ac rudis ad nihilum rediret. Quibus intellectis, admittenda est nobis lex illa, quae conseruationem nostri ipsius iubet, omnium naturalium princeps, quum sine hac nulla alia lex cogitari queat. Qua quidem lege inuenta, quot ac quanta a nobis intelliguntur commoda, quae in nos redundent! Patet nobis tunc via, quae ad reliquarum legum naturalium distinctam nos perducit cognitionem. Scimus, quid nobis prae caeteris maxime incumbat. Certa est denique atque fundata Iurisprudenciae Naturalis scientia, eius scilicet, quae generalissime sumitur pro quauis norma morali. Quae omnia deficerent, nisi de vnico eius constaret principio. Hoc vero non est, quod pluribus commonstrem. Superest ergo, quia haud multum auctoritatis nostrae, de vno principio Iuris Naturae, sententiae adcreferet ex eo, quod fere omnia, quae etiam falso ab eruditis constituta sunt, principia Iuris Naturae, vnica fuerint, vt ad eam, quam supra protuli, Iuris Naturae notionem adcedam atque nouum exinde petam argumentum pro ea, quae prae caeteris mihi adridet, de principio Iuris Naturae vnico opinione. Maxima, vt iam iam monui, Iuri Naturae principium quam adfert, vtilitas in eo posita est, quo Ius Naturae, quatenus pro illis regulis accipitur specialissime, quibus non, nisi in officiis necessariis alteri praestandis, vtimur et ad quas




C 2

implen-



implendas alter me inuitum in statu naturali per bellum compellere potest, facilius a philosophia morali, quae tradit leges naturales, specialiter sic dictas, de omnibus officiis aliis debitis, segregetur. *) Per se enim evidens est, omnia, quae Iuri Naturae subsunt, officia, quod ad eorum primam originem pertinet, philosophia morali eximi non posse generalissima vel speciali. Sunt ea tamen, quatenus Iuri Naturali propria sunt, officia, quibus plus aliquid, quam caeteris, inest, quippe quae coactionis metu exiguntur; vel minus, si penitius ea perspicias, quibus nempe non necesse est, ut probitas insit atque honestas. Quare recte docet vulgare illud: iustum quod dicitur, non ideo esse honestum. Quoniam vero iustum, id nimirum, quod externe iustum vocatur, ab honesto differt, iustum tamen non ideo honesto repugnare unquam poterit. Et ex hoc omnino cognoscere licet, quatenus Ius Naturae cum philosophia morali cohaereat itidemque ab ea quam longissime distet. Vtraque quamvis doctrina multa habeat, quae sibi inuicem sint communia, reperiuntur tamen, quae recte vel cognosci vel pertractari nequeant, nisi vnâ ab altera curatius fecernamus. Cuius quidem distinctionis necessitatem nemo negabit, nisi fortasse is, cui omnis opera in Iuris Naturae explicatione inanis esse videtur. Cur autem Iuris Naturae praecepta separatim illustranda sint, ratio non est tam recondita, ut eam inuestiganti non statim occurrat. Ut scilicet nobis patefiat exinde, leges num sint, sensu iuri-

*) Longe aliter hac de re sentit BASEDOVIVS in libro supra excitato, p. 13. „Den practischen Theil der Philosophie nennt man bald *Moral*, oder Sittenlehre, bald das *Recht der Natur* oder *Vernunft*. Einige haben sie gar in das Recht der Natur und in die *Moral*, als in zwey verschiedene Wissenschaften eingetheilt. Ich habe gefunden, daß dasjenige, was die Philosophen trennen wollen, in der That unzertrennlich sey.“




 iuridico sic dictae, quibus omnes homines aequaliter obligentur; quales sint obligationes, quae ex illis descendant; *) qualia iura cuique competant ex illis; quomodo lites denique exortas illae componant atque decident. Manifestum est igitur, quam quod manifestissimum, finem, sicuti nulla ne cogitari quidem potest ars, vel scientia, quae sine, cuius obtinendi causa colenda sit, destituatur, ita etiam Iuri Naturae deficere non posse. Finis vero Iuris Naturae primarius vnicus est, nec fieri potest, vt multiplex sit atque varius. Quod facile est ad intelligendum. Omnis enim Iuris Naturae summa eo tendit, vt distinctius cognoscamus, quid externe sit iustum vel minus; quum nullam, nisi externam, iustitiam requiri aut etiam locum habere posse in ciuitate, inter omnes constet; ideoque Ius Naturae tamquam legum ciuiliū humanarum fons atque norma nulla alia ratione, nisi hanc acceperit formam, considerari possit. His igitur praestructis, quid vetat, quo minus hunc vnicum Iuris Naturae finem vnica propositione illa: *neminem laede!* exprimamus? quae hominum quemque iusti viri cognomine exornat, qui iniusta omittendo, aliorum hominum respectu, iuste viuit ac suum cuique tribuit. An vero omnibus haec vnica propositio casibus euenientibus sufficiat, dubium videtur, quem

C 3

*) Magni momenti esse mihi videtur illa quaestio, num sint obligationes Iuris Naturalis perfectae vel imperfectae, quamuis non ignorem non deesse, qui imperfectam plane reiiciant obligationem. Ita GERHARDVS in Delineat. Iur. Nat. I. V. §. 21. imperfectam esse statuit obligationem, qua homini quis obligetur, eodem modo, quo corpusculum infantis, cui nondum adcessit anima motrix, est homo.



quem supra laudavi, SVLZERO. *) Sufficit omni modo, si ad statum naturalem recurramus, vbi omnia tam simplicis naturae reperiuntur officia, casus vero pauci, in quibus obtinent, vt vtraque pari passu ambulent, itidemque sufficit in statu naturali hypothetico, quum etiam in hoc ad factum adplicari queat. Pone eam non sufficere omnibus casibus, num sequitur exinde, vt hanc ob causam digna non sit, quae Iuris Naturae in fronte principii loco constituatur? Sin per hanc certiores fimus propositionem de Iuris Naturae fine, ambitu et de limite denique, quo Ius Naturae a philosophia morali separatur, quid dubitamus, an ea sufficiat? Sufficit enim doctrinae, et si huic sufficit, quid est opus aliis, vel pluribus Iuris Naturae principiis?

Finiamus itaque hanc nostram qualemcunque opellam atque id potius agamus, quod scribendi nobis exoptatissimam adtulit occasionem. Est enim mihi a SERENISSIMO PRINCIPE ELECTORE SAXONIAE munus Ius Naturae ac Gentium in hac inclita

*) Qui arduum fuisse adhuc philosophis existimat, tale vt constituerent principium Iuris Naturae, a quo nullo in casu recedendum esset. Philosoph. Schriften, p. 390. „So gewiß, inquit ille,“ und ausgemacht die Verschiedenheit der vollkommenen und unvollkommenen Pflichten ist; so ist es doch den Philosophen bisher nicht leicht gewesen, dieselbe auf so deutliche und allgemeine Grundsätze zu führen, die auf alle Fälle angewandt werden könnten. Sie haben niemals deutlich und genau genug einen Grundsatz festgesetzt, der die wesentliche Nothwendigkeit dieser Verschiedenheit zeiget, und eine allgemeine Vorschrift für alle Fälle seyn könnte.“



clita Academia Vitebergensi profitendi extraordinarium quam benignissime demandatum. Quod quidem beneficium pia atque grata mente sicuti colo ac veneror, ita etiam publice *Munificentissimo Principi* gratias acturus valde laetor summoque gaudio adficio. Gratiarum itaque cum actione, ut par est, insimulque oratione de *Iuris Naturae utilitate*, quod mihi collatum esse gaudeo, munus publicum auspicabor. Cui orationi ut intersint *Rektor Academiae Magnus, Comes illustrissimus, Academiae Proceres, Cives generosissimi atque humanissimi*, etiam atque etiam rogo. Vitebergae Domin. Misericord. A. S. R. 1698.



ULB Halle

3

004 058 02X



56.







10

DE
R A T I O N E

1780 13 2

PRINCIPIVM IVRIS NATVRAE

CVR SIT
MVLTVS VISVM VIX POSSE ADINVENIRI
IDEMQVE CVR VNICVM ESSE DEBEAT

P R O L V S I O

QVA
AD AVDIENDAM

O R A T I O N E M

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE
AC GENTIVM

EXTRAORDINARIAE INAVGVRALEM

DIE XIII. APRIL. MDCCCLXXX

PVBLICE RECITANDAM
OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE
HVMANITATE
INVITAT

D. CAROLVS FERDINANDVS SCHMID

VITEBERGAE
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIYS

KONFRIED
UNIVERS